



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 28. Scripta Luciferi Calaritani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV. meritatem. His Epistola Synodalis Con-
 A. C. 360. ciliii Parisiensis clauditur. Forte quis a
 vero non aberraverit, si paulo post redi-
 tum S. Hilarii, vivente adhucdum Con-
 stantio, actum crediderit. Episcopos
 Gallia a Constantii persecutione securos
 reddebat auctoritas Juliani, qui jam an-
 no 360. Lutetia Parisiorum Augustus sa-
 lutatus est; cujus in hac urbe commo-
 ratio causa esse potuit, cur potius illuc,
 quam alibi Concilium convenerit, nam
 illo adhuc tempore Christianum simula-
 bat.

Pagi an. 362
 n. 23. inf.
 n. 34.

§. XXVIII.

Scripta Luciferi Calaritani.

In alio loco Lucifer Calaritanus in suo
 exilio pro defensione fidei adversus
 Constantii persecutionem varia scripta in
 lucem emisit. Opus primum, Impera-
 tori inscriptum, quo S. Athanasium defen-
 dit, in duos libros dividitur, & incipit
 in hunc modum: *Cogis nos, Constanti!*
fratrem nostrum Athanasium absentem
condemnare, quod Lex Dei vetat. Po-
tentia tua Regia Sacerdotes Dei ad effun-
dendum sanguinem impellis, & nescis,
quod obedire non valeamus, nisi jura
justitiæ, quæ a Deo accepimus, proculce-
mus. An dices, lege Dei permissum esse
condemnare absentem, & inauditum, imo
innocentem? cum tibi ex S. Scriptura
 notum

notum sit, Adamum, & Evam Proto-Pa-
rentes nostros non prius quam audirentur,
Dei sententia fuisse prostratos? vocavit-
que Dominus Deus Adam, & dixit ei:
Ubi es? & reliqua, nam totum textum
ponit, & sic ulterius in Imperatorem in-
vehitur: *Quanta est ergo tua impuden-
tia! qua Dei servis Judicii formam præ-
scribis, Legi divinæ contrariam? Non
times? ne, quod tunc mulier dixit: Ser-
pens decepit me, & nos judicanti Deo re-
spondeamus: Constantius Imperator sedu-
xit nos? non vides, iratum Numen ean-
dem sententiam in te fulminaturum, quæ
in Serpentem lata est, cui dixit: Quia
fecisti hoc, maledictus es, & reliqua.* Post
hæc pergit longos textus citare, eosque
Imperatori applicat, ea libertate, & im-
petu, quo infimæ sortis hominem incre-
paret. Eandem in aliis ejus scriptis in-
venies methodum; ita per ordinem om-
nes S. Scripturæ libros pertransit, figura
Repetitionis frequentissime utitur, sti-
lus ejus est, qualem ipse vocat, durior,
& rusticus; denique quamvis scripta e-
jus nulla alia re commendanda sint, ta-
men in iis generosi animi magnitudo, &
singularis eloquendi vis deprehenditur.

Secundum opus titulum præfert:
De Regibus Apostatis; in hoc Lucifer
propositum sibi habebat, Constantio il-
lam opinionem eximere, quod crederet,
fieri

Sæculum IV.
A. C. 360.

Gen. 3. 9.

Ib. c. 3. v. 14.

de non parc.
p. 247 edit.
Paris. 1568.

Sæculum IV. fieri non posse, ut tam prospere regna-
A. C. 360. ret, nisi recte in fide sentiret, dicebat e-
 nim; nisi fides, quam ipse profitebatur,
 fuisset Catholica, & persecutio, qua de-
 fensores fidei Nicænæ premebat, Deo gra-
 tissima, permissurum non fuisse, ut ipse
 florentissimi Imperii fortuna uteretur.
 Lucifer hunc errorem confutat, addu-
 cendo exempla malorum Principum, qui-
 bus Deus super populum suum electum
 regnare indulsit, etiam abstrahendo ser-
 monem a Principibus, qui Gentilibus im-
 perabant. Tertio operi titulus præfi-
 gitur: Quod non sit communicandum
 cum hæreticis. Hujus scripti finis est,
 diluere objectionem Constantii, dicentis,
 Episcopos Catholicos esse pacis, concor-
 diæ & charitatis fraternæ inimicos. Scri-
 pturarum auctoritate probat, quod te-
 neamur malorum societatem fugere.

Operis quarti titulus est; His, qui in
 Deum peccant, non esse parcendum.
 Atque in exordio his verbis in Impera-
 torem invehitur: *Cum te modis omnibus
 superatum videres a Servis Dei, dixisti;
 quod injuriis te persequamur, nos, quo-
 rum imprimis esset, te honorare! eamque
 esse nostram insolentiam, ut crescere ul-
 tra non possit.* Et deinde: Zelo suo au-
 ctoritatem adstruit ab exemplis S. Scri-
 pturæ, Si, inquit: *Matathia, aut Pbi-
 nees temporibus vixisses, & Sancti isti te
 vitam*

vitam Gentium agere vidissent, per Deum! Sæculum IV.
A. C. 360.
 gladio tibi moriendum fuisset! ego vero,
 quod verbis te redarguam, te, inquam,
 cujus manus Christianorum cruore dif-
 fluunt, injuriam non ferendam tibi facere
 videor? Quare, Imperator cum sis, non
 ulcisceris me? Quare reparationem ho-
 noris non exigis a mendico? Certe vo-
 luntas tibi non deest, sed hoc faciendi
 potestatem hætenus non accepisti ab eo,
 qui mihi libertatem tribuit tua crimi-
 na redarguendi, atque animum tibi di-
 cendi, quod tibi, omnibus divitiis, &
 pompæ Regni tui, & Patri tuo Satanae
 renuntiaverim. Scias, hoc ipso nos af-
 fligi, quod nobis parcas, Tyranne! cui
 in more positum, quoscunque, tibi invi-
 sos, gladio devorare. Hoc nempe San-
 ctos Episcopos tanta audacia implebat,
 quod mundi divitias, & ipsam vitam con-
 temnerent. At Lucifer prioribus sub-
 jungit: *An putas, nos oportere Diadema
 tuum, inaures tuas, armillas, & aureas
 vestes venerari, & Creatoris mandata
 spernere? Quam parum sapis, cum di-
 cis: Contumeliose habeor a Lucifero, ho-
 mine miserabili, ego Imperator! melius
 diceres: ab Episcopo, qui lupum ra-
 pacem te agnovit! Et iterum: Injuria-
 rum me accusas, apud quem autem de-
 fereres reum? ad Deum, quem nescis? ad
 te ipsum? Sed quid denique facies, homo*
 Hist. Eccles. Tom. III. H h h mori-

p. 292.

p. 300.

Sæculum IV. *moriture! qui Servis Dei nocere non*
 A. C. 360. *vales! torquendo vires sufficies, occiden-*
 do ad felicioram vitam deduces.

p. 279.

Rom. 13.

Luciferi
 Scripta.

Tit. 2. 15.

p. 299.

Sibi ipsi objicit loca S. Scripturæ, Regibus, & Potestatibus Sæculi obedire præcipientis, & respondet, Imperatori quoque, cum se Christianum dicat, Episcoporum admonitiones reverenter esse audiendas; quia Episcopi Fideles exhortari, cum imperio reprehendere, & a nemine sperni se pati jubentur. Et subdit: Scito! quod perbene noverimus, nos tibi, & omnibus, qui in Dignitatibus sunt, obedientiam debere, at tunc tantum debemus, quando bona præcipitis, non autem quando innocentem condemnare, & fidem proculcare jubetis. Præterea, inquit: Apostolus de Principibus, & Magistratibus loquitur, qui necdum in Filium Dei unigenitum credebant, hinc nostra humilitate, patientia, & obedientia in rebus justis ad fidem trahendi erant; at dum Imperator es, & inter Christianos Christianum te fingis, si sub hac larva cogere vis, ut a Deo recedamus, & Idololatriam sequamur, an credis ad obedientiam nos teneri, ne Præcepto Apostoli refragari videamur? Hic potestatis Sæcularis limites indicantur. Christiani obedire tenentur etiam Principibus Infidelibus, in omnibus quæ secundum rationem sunt & resistere etiam

tiam Principibus Christianis in omnibus, quæ manifeste Legi Dei contraria sunt. Sæculum IV.
A. C. 360.
Econtra Principes Christiani subditi sint Episcopis in omnibus, quæ Religionem tangunt, atque Doctrinam, & reprehensiones ferant, ab illis, quibus in aliis omnibus imperant. Ultimi Luciferi Tractatus titulus est; Pro Filio Dei moriendum; & propositum, Constantio demonstrare, quod tota sua potentia temporali in Catholicos, ad Martyrium præparatos, nihil possit.

Non satis fuit Lucifero hæc scripta composuisse, sed etiam, saltem eorum aliqua, ad Imperatorem transmisit, qui insolitam miratus audaciam per Florentium, officiorum Magistrum, rescribi iussit in hæc verba: *Cum liber traditus ap. Lucif. fuerit Imperatori tuo nomine, iussit, eum ad tuam Sanctitatem deferri, ut sciat, an vere a te missus sit. Rescribe ergo, quod verum est, & remitte librum, ut denuo suæ æternitati exhiberi possit.* Lucifer per Epistolam respondit: *Scias, latorem libri a me missum fuisse, qui, ut dicis, meo nomine Imperatorem adiit, & postquam librum ipsum attente inspexi, Bonoso Imperatoris curatoris ferendum dedi. Jam tuæ Generositatis est, fidenter affirmare, librum mea confessione esse meum, nam postquam causas perpenderis, quæ me ad hanc scribendi rationem per-*

Hh h 2 pule-

Sæculum IV. *pulerint, videbis, nos cum Dei auxilio
A. C. 360. mortem, quæ nobis præparatur, lætos
exspectare.*

op. Lucif. S. Athanasius, fama de Luciferi libris ad se perlata, ad eum ex eremo scripsit, virilem constantiam laudans, missoque Diacono, nomine Eutichezio, petiit, ut sibi librorum suorum exempla communicaret. His acceptis, rursus scripsit, magnis laudibus virum extollens, dicensque;

Libell. Marcell. p. 72.

& Spiritum S. ex ipso loqui. Tanti S. Athanasius opera Luciferi fecit, ut ea in Græcum traduceret. Quatuor diversa loca Lucifer suo exilio illustravit; primo fuit Germaniciæ in Syria, deinde Eleutheropoli in Palæstina, ubi eum Episcopus Eutichius indignis modis habuit, non ipsum solum, sed omnes, qui cum ipso communicabant, dire persecutus. Quadam die ostium illius domus, qua Lucifer, & Catholici ad Officium divinum convenerant; perfodi securibus jussit, tunc vero furiose in eum manus injecere, SS. Mysteria (*) effunduntur, omnes assistentes cæduntur verberibus, vasa sacra, & libri sacri ablati. Tertio Lucifer

Ibid. p. 89.

(*) SS. Mysteria, reddidit Protestans: *Man stieß den Tisch um.*

fer in Thebaiden exul migrare iussus est. Sæculum IV.
A. C. 360.
Quartus exilii locus nescitur.

§. XXIX.

Eunomius a suis depositus

Eudoxius, postquam Eunomium in Ec-
clesiam Cyzicenam intrusisset, timens,
ne propriæ famæ noceret, & se ipsum,
rebus necdum maturis, purum Arianum,
qualis revera erat, proderet, sicque Im-
peratoris indignationem incurreret, sua-
debat, ut fidem suam dissimularet, nec
ipsemet imprudens inimicis suis occasio-
nem eum accusandi cupientibus, ansam
daret. *Veniet tempus, inquiebat: ma-
nifestandi, quod modo occultamus, fidem,
quam tenemus, ignorantes docebimus, re-
sistentibus eam persuadebimus, aut certe
cogemus, & inflexibiles puniri curabi-
mus.* Eunomius, callidum consilium se-
cutus, Doctrinam impiam verbis obscu-
ris prædicabat, sed eos, qui in verbo Dei
enutriti erant, mala arte non fefellit;
quamvis autem summe indignarentur,
tamen imprudenter se facturos credide-
re, si Episcopo in faciem resisterent, ergo,
hæreticos se simulantes, in ejus domum
se conferunt, rogant, ut clare suæ Do-
ctrinæ sensum explicaret, nec se diutius
in re tanta incertos esse vellet; his ille
audacior, impietatem aperuit, cui deinde

H h h 3 dixere,